









1761.

- 1<sup>a</sup> Stissmann, Joannes Benjaminus Litteratus: De qualitate  
negativae ejusque probatione  
~~Joh. Henricus, Rudolphus Christianus~~: De criminis solentia.
- 2<sup>nd</sup> Schorck, Christian F. T. Zimmerman: De eo quod justum  
est in redditu mutuo in causa si monetae mutantur  
medio tempore facta est.
3. Schorck, Christian F. T. Zimmerman: De causa bonorum  
absentis.
- 3<sup>a</sup> Sticker, Conrad Wilhelm, Facult. iuris Sacrae Decanus 1. b.  
(ad Disputationem in mag. Joannis Benjaminii Litterati  
Stissmanni invitata.)
4. Sticker, Conrad Wilhelm, Facult. iuris Sacrae Decanus:  
1. b. s. (ad Disputationem in mag. Danielis Augusti  
Zimmermanni invitata.).
5. Sticker, Conrad Wilhelm: De iure accessus in qua-  
litatibus rebus etiam oblinente.

1762.

1. Strelker, Conradus Wilhelmus, Facult. iuris Docens  
L. b. s. (ad Disputationem in ang. Christian. Hartmann.  
Thilo invitat).

2. Strelker, Conradus Wilhelmus: De modo adquirendi per  
occupationem bellicam regae ex, quod circa eam  
justum est.

1763.

1. Henne, Rudolph Christ: De deposito irregulari.

1764.

1. Henne, Rudolph Christ, Decanus or. Nic. Letorum  
solemnia inaugralia . . . . . solemnia inauguralia . . .  
D. Georgii Friderici Henrici Hartungii . . . indicat-  
similique de non et abus. tormenti Barbogearis quae  
Iam possefatur.

2. Henne, Rudolph Christoph: De eo, quod justum est circa  
portionem statueriam coniugi superstiti, ex defuncti  
bonis debet.

3. Henne, Randolph Christph: Decanus ordinis Teutonarum:  
- - solemnia inauguralia . . . Randolph Henrici  
Wilhelmi Ziegleri . . . in his t. similiq[ue] & opp[ositi]o-  
nario personarum ejusque conaentia cum  
appignatione rerum quaedam praefatur.

4. Henne, Randolph Christoph: De natura et iudeo-  
censu, praesertim statio temporibus solvendorum.

1765.

1. Henne, Randolph Christoph, Decanus Ordinis Teutonarum  
- - solemnia inauguralia b. Joannis Conradi Lacheri.  
- - in his t. similiq[ue] de testamento mystico live  
arcane quaedam praefatur.

2. Henne, Randolph Christoph: ~~Decanus ordinis teutonarum~~  
quatenus in heretos transirent vel non transirent.  
- - ~~solemnia inauguralia b. Joannis Conradi Lacheri~~  
- - ~~in his t. similiq[ue] de testamento mystico live arcane~~  
~~quaedam praefatur.~~

1765.

3. Henne, Rudolph. Christoph: Decanus or. d. Letorarum:

Solemnia inauguraicia . . . Dr. Adam Ignatii Turin  
- - - indicet simulque de transactiōne super contractis  
dīs ex testamento natis quādam praeceptūr.

4. Rumpel, Hermannus Ernest: De legum salientibus

quae in ijsis legibus minus adcuratae exhibentur

1766.

1. Rumpel, Hermannus Ernestus: De morum ac leges Ruraniae  
habitu ac relatione

2. Schorch, Hieronymus Frider. Facult. iuridicae Decanus -  
lectori benevolent. p. d. (ad disputacionem inaug. Carolia.  
Theophilii Bahrtii invitat).

3. Schorch, Hieronymus Fridericus: De officiis mandati  
properam plenariaque reprehensio

1766.

4 Schorch, Hieronymus <sup>F. Dericus</sup> De proxenetis.

5. 1767.

1. Henne, Randolph Christ, Ordines iuriconsultorum  
Decans solemnia inauguralia . . . in dictis simul  
que: De iuramenti solatione in omni parte  
in dicti licita quaedam praefatus.

2. Henne, Randolph Christ: De testamento publico  
per repetitum ab actis vel scriulis principis  
rupto.







1765,2  
14  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**ACTIONIBVS EX DELICTO**

QVATENVS

IN HERedes TRANSEVNT VEL NON  
TRANSEVNT

QVAM

AVSPICIIS DIVINIS

INDVLTV ET AVCTORATE ILLVSTRIS ICTORVM  
ORDINIS

IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENS]

PRAE SIDE

FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO

DN. RVDOLPH. CHRISTOPH. HENNE  
ICTO

ORDINIS IVRECONSULTORVM ET IVDICII ELECTORAL. PROVINCIAL.  
ADSESSORE, NEC NON COD. ET IURIS FEVDAL. PROFESSORE

TVEL. ORDIN.

PRO SVMmis IN VTROQUE IVRE HONORIBVS ET DIGNITATIBVS  
LEGITIME CONSEQUENDIS

DIE XI. APRIL. MDCCCLXV. HORIS CONSVENTIS

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI COLLEGII  
ANSELMINI

PUBLICAE DISQVISITIONI SVMMITIT

A V C T O R

IOHANNES CONRADVS LOEBER, ERFORT.

ADVOC. DIC. EL. ERF.

ERFORDIAE

LITTERIS NONNII, ACAD. TYPOGRAPH.





## §. I.

**D**E<sup>CL</sup>ICTVM est factum illicitum dolo malo admissum. Quia ergo delictum est factum illicitum, id est contra leges veri protulentes vel praeципientes admissum, adeoque omne delictum consistit in violatione harum legum; cognoscitur facile, delinquentem propter hanc violationem puniri posse, & ita obligatum esse ad sustinendam pœnam, quam violando leges commeruit. Quia porro, si quis per delinquentis factum Iesus sit, ipsa ratio cuique dicitat, id damnum resarcendum esse a Iudicente, sequitur sua spon-

A 2

te



te delinquentem propter hunc effectum maleficij sui etiam ad damni réparationem teneri & obligatum esse. Duplex itaque obligatio ex delicto resultat, primo ad pœnam sustinendam, secundo ad damnum resarcendum 1). Bene itaque docet GROTIUS 2), vitiositatem actus illiciti ab eius effectu esse separandam: illi pœna respondet; huic, damni reparatio. Optime quoque hanc diuersam obligationem distinxerunt Germani veteres. Eum enim qui delictum admiserat, condemnabant tum ad *Fredam*, tum ad *Widrigeldum*, quæ duæ mulctæ ad hanc duplicem obligationem se referebant: prior propter lassam societatem publicam, posterior propter lassum ius priuati pendebatur.

1) WESTENBERG. Principia Iuris secundum ordinem Digest.

Tit. de priuat. delict. §. 2. HEINECC. Element. Institut.

§. 1033.

2) L. II. de Iure belli & pacis Cap. xvii. §. 22.

#### §. II.

Quod attinet ad obligationem delinquentis ad damnum reparandum, illa satis certa est, nec ut fundamentum eius ex consensu lalentis repetatur necesse est. Fluit enim ex præcepto illo Iuris Nat. omnibus dato: *Neminem lade*. Si enim hujus præcepti sua vis constat, dabitur necessario lasso ab eo, cui imputari potest, est sacerienda; cum alias vanum foret hoc præceptum, si, ubi de facto lasso contigit, damnum lasso gratis esset deuorandum, & qui lasset fructu sua iniuria secure & citra refusionem gaude-re posset 1). Quantum vero adtinet ad obligationem alteram, quæ pœnam sustinendam respicit, controversa quæsio est, unde hac obligatio repetenda sit, & in specie, an ex consensu descendat. Sunt qui adfirmant consensu & volun-

¶ ¶ + ¶

voluntate ipsius delinquentis hanc obligationem inniti 2):  
Quicunque enim scit actum aliquem aliquid operari, si  
eum perfecerit utique eo facto velle intelligitur quod ope-  
ratur; unde qui vult antecedens, nimurum delinquere, ne-  
cessere est velit quoque consequens, nempe subire poenam  
delicto statutam. Atque uti actiones ex factis obligato-  
riis licitis profectae in intuitos etiam exercentur, & is ad  
præstandum compellitur, qui nunc non vult soluere, quia  
antea voluit ubi conuentionem libere innibat. Similiter  
quoque delinquens malefaciendo sciens volensque poen-  
az se facit obnoxium, in eamque consenit, licet eo tem-  
pore quo supplicium de eo sumendum est illam poenam  
maxime refugiat. Ita fere ratiocinantur, qui adfirmati-  
um propugnant. Sunt vero etiam & multo plures qui  
negant, eo quod certum sit, non omnem obligationem ex  
consensu proficiisci, nec ex rationibus aduersariorum il-  
lud quod volunt satis stabiliri posse 3). Faciemus itaque  
& nos cum his & cum CAIO & TRIBONIANO 4), qui  
simpliciter dicunt, omnem obligationem ex delicto *ex re*  
nasci, id est ex ipso maleficio. Rem vero ibi opponi con-  
sensui satis ex contextu adparet. Verum itaque, atque  
genuinum fundamentum omnis poenaz ciuilis est cuiuslibet  
maleficium & factum illicitum, quo leges publicas  
lædit. Ut enim legibus sua constet auctoritas, poenis ad-  
uersus transgressores opus est, sine quibus malis homini-  
bus omnis Reipublicæ sanctio ludibrio foret.

3) PUFENDORFF. Ius N. L. iii. Cap. 1. §. 2. GRIEDNER.  
Principia I. N. L. iv. Cap. 4. §. 1. THOMAS. diff. Larua  
Legis Aquil. detracta & §. ii. iii. iunct. §. x.

- 2) Inter quos sunt BARDEYRAC, ad Pufend. L. viii. Cap. 3.  
§. 4. STRV. Exercit. 48. th. 3.  
3) Vid. THOMAS. fundament. Iur. nat. L. iii. Cap. 7. §. 7.  
TITIVS Iur. Priv. L. i. Cap. 15. §. 6. 7.  
4) v. l. 4. de Obl. & Act. & pr. I. de obligat. quæ ex de-  
licto. add. GIPHAN. ad cit. l. 4. de O. & A. in Lecturis  
Altorff. p. 550.

## §. III.

Hæ obligationes delinquentium ne inanes sint, ratio-  
nem obtinendi id, quod in obligatione est, esse etiam  
oportet. Hoc fine actiones prodictæ sunt aduersus delin-  
quentes. Et iure Rom. quidem ob delicta actiones vel  
rei persecutoria, vel poenales, eaque vel puræ vel mixtæ;  
& poenales rursus vel ciuiles vel criminales sunt intro-  
ductæ; Quarum definitiones & discrimina cum notissima  
sint, hic repetere supersedeo. Id solum admonendum  
duco, et si remedia criminalia, quibus persequimur adver-  
sus delinquentes id quod Reipublica debetur, id est poe-  
nam, proprie *Accusationes* adpellantur; non infrequens ta-  
men esse, ut actionis vox etiam comprehendat accusatio-  
nes i). Quapropter & nos iam, ut eo plenior tractatio  
nostra fiat, in eodem sensu actionem usurpabimus, ita ut  
criminales actiones non excludamus.

- i) l. 15. §. 3. & l. 2. l. 10. ad SC. Turpill. arg. 1. 4. C. de  
edendo & arg. rubr. C. quando actio Civil. Criminali.

## §. IV.

Hereditatis adpellatio in iure nostro uniuersitatē  
quandam & ius successionis demonstrat i), eoque no-  
mine propriæ nihil aliud venit, quam uniuersum illud ius,  
quod defuncto vel in defunctum tempore mortis eius

com-

3:  
7:  
de-  
ris  
  
o-  
m-  
n-  
el-  
z;  
p-  
na  
m-  
r-  
e-  
p-  
o-  
t-  
le  
n-  
-  
6,  
s-

competebat 2). Atque ideo quoque heres definitur successor in vniuersum ius quod defunctus habuit 3). Facile inde adparet, heredem regulariter omnia hereditatis commoda & incommoda, iura & obligationes, etiam personales, suscipere debere; siquidem ob id quoque post aditam hereditatem defuncti personam representare, & vna quodammodo persona cum illo esse dicitur 4). Verum sicuti non omnibus commodis, ea nempe qua ad ius personalissimum defuncti pertinent, excipiuntur, heres potitur: Ita nec omnibus, quibus defunctus tenebatur, oneribus subiicitur. Ea nempe, qua ad obligationem personalissimam defuncti pertinent, iterum inde excipiuntur.

1) l. 208. de Verb. signif.

2) l. 24. de V. S. l. 62. de Reg. Iur.

3) l. 37. de adquir. her. l. 11. de diuers. temp. praescript.

4) Nov. 48. pr. l. 31. S. 1. de hered. Instit. Iunet. l. 22. de Vfucap.

### §. V.

His præmissis nunc ad questionem accedimus: An obligationes etiam ex delicto defuncti venientes in heredem transiant, isque adeo actionibus ex delictis descendentibus teneatur? Cumque hoc vna definitione commode comprehendri nequeat, sed pro diuersitate delicti & inde venientis obligationis varie responderi debeat: non melius nos facturos credimus, quam si singula actionum ex delictis ortarum genera, singulosque delictorum effectus percurramus.

### §. VI.

Videamus itaque primo, quid intuitu heredis iuris sit, ratione illius obligationis, qua delinquens ad damnum far-

8  
 sarcientum tenetur, siue; an actio ex delicto, quatenus agimus ad reparandum damnum, contra heredes teneat? separandum hic est Ius Ciuale a Iure Canonico. Secundum principia Iuris Rom. heres ad reparationem damni defuncti delicto dati in se plane non tenetur. Excipiuntur vulgo duo casus, si nempe aut lis cum defuncto fuit contestata, aut ex delicto ad heredem quid peruenit, isque adeo locupletior inde factus est. Verum & in his duobus casibus obligatio heredis proprie non tam ex delicto defuncti, quam aliunde descendit. In priori enim casu obligationis causa est litis contestatio qua quasi contractum inducit 1), & sic actio ex delicto contra defunctionem mota, tanquam actio ex contractu vel quasi in heredes transit. In posteriori casu vero obligationis fundamentum est ipsa aequitas Iure Ciuali adprobata, qua non patitur heredem locupletiorem fieri cum alterius damno 2). Itaque inde adparet, si rem recte astimamus, Iure Rom. heredem ex delicto defuncti per se plane non teneri ad sarcientum damnum. Siquidem & heres ad quem aliquid peruenit, non in solidum tenetur, & ad omne damnum per defunctionem illatum sarcientum obligatur, sed dumtaxat ad id quod peruenit, & quatenus peruenit.

1) l. 3. §. 11. de pecul. l. 139. de Reg. Iur.

2) l. 5. de Calumniat. l. 16. quod metus causa, l. 4. §. 2. de Incend. ruin. naufr. dicitur autem ad heredem peruenisse, non solum si res adhuc dum extet, sed & si in pecuniam vel aliam rem conuersa quacunque ratione lucro heredis cesserit. vid. omnino l. 17. & 18. quod metus causa.

## §. VII.

At ab his principiis longe recedit Ius Canonicum. Hoc enim heredem simpliciter & indistincte ad damni a defuncto per delictum dati reparationem adstrinxit. Id solum adiecit, ne heres ultra vires hereditatis teneretur. Clari hanc in rem præsto sunt textus 1), ex quibus ALEXANDRI III. rescriptum hoc ex parte transcribimus, quia exinde simul ratio huius dispositionis & fundamen-tum intelligi potest. Verba hæc sunt: "Qua propter si ita res se habet mandamus, ut corpus eiusdem adpellatione cessante facias in cœmeterio sepeliri, & heredes eius moncas & compellas, ut his quibus ille per incendium vel alio modo damna contra iusticiam irrogauerat, iuxta facultates suas condigne satisfaciant, ut sic a peccato valeat liberari."

1) Cap. 28. X. de sent. excomm. in fin. c. 14. X. de sepul-tur. c. 9. X. de Vfir. c. 3. X. de pignor.

## §. VIII.

In hac Iuris Civ.. & Canon. pugna quaritur, quale Ius receptum vsu sit, & in foro obtineat? Et nulli dubitamus, cum multis magni nominis Iureconsultis, Iuri Canonico primas concedere. Ut enim Protestantes fundamentum obligandi quod Ius Canon. adfert, & vnde heredis obligationem deducit, ex principiis sua religio-nis non agnoscant: dispositionem ipsam tamen merito receperunt, quia aequitatem multam habet, & Iuri Nat. per omnia conueniens est 1). Aequissimum enim est tantum patrimonio defuncti detrahi, quantum per eius delictum lasso ex suo patrimonio abest: quippe hæc obligatio

B

damni



damni reparandi non tam respicit personam delinquentis quam eius bona, ex quibus reparatio facienda est, quae obligatio cum hereditate ad heredes transit. Non pauci itaque Doctores sunt, qui de praxi Iuris Canon. hac in parte testantur 2). Sane Ius Rom. ipsum sequitur hæc principia æquitatis in furto, ex quo vel cuius occasione conditionem furtiuam furtum passo concedit, etiam ad furis heredes ad consequendam rem ablatam vel eius estimationem, non tantum quatenus ad illos peruenit, sed in solidum 3).

1) Hoc data opera demonstrant GROTTVS in Iure B. & P. L. II. Cap. 17. PFENNEDORFF. in Iure N. L. III. Cap. I. §. 4. BACHOV. disp. 5. de Act. th. 4. in f. THOMAS. diff. Larua Legis Aquil. detracta &c. §. 13. BEIER. de oblig. successor. illustr. §. 5.

2) MEVIUS P. v. decis. 39. CHRISTINÆVS Vol. III. decis. 22. LEYSER. spec. 112. coroll. 3. TITIVS in Int. priv. L. I. Cap. II. §. 31. & 33. & in Observ. Lauterb. 1146. GRIEBNER. Princip. Iurispr. Natural. L. IV. Cap. 4. §. 4. GREVE Diff. ad Instit. Tit. de perpet. & temp. act. §. 5. BOEHMER. in Iure Eccles. Protest. L. V. Tit. 17. §. 128-136. & imprimis §. 137. STRICK. Vs. Mod. ad L. Aquil. §. 5.

3) I. I. & 9. de condic. furt. & §. vlt. I. de oblig. quæ ex delict.

#### §. IX.

Sed numquid hæc obligatio ad reparationem damni etiam ad heredes transit, vbi reus delictum morte expiavit? Non dubitamus ad quæstionem hanc adfirmando respondere. Duplex enim obligatio cum delinquentis fit, illi plene satisfactum dici nequit, vbi altera solum exple-

plera est. Per ultimum supplicium, quod reus criminis sustinuit, satisfactum quidem est reipublicæ statuto in legum violatores exemplo, quo alii a similibus maleficiis poenæ metu absterreantur. Sed hoc lasso per delictum nihil de iure suo diminuere potest, quod habet ad petendam reparationem damni in re sua priuata dati, nec satisfactio publica tollere potest satisfactiōnē priuatam. Accedit quod accusatio criminalis & actio civilis præsertim rei persecutoria, nec de Iure Rom. se consumant, cum ad diuersa tendant 1). Superest igitur, vt et a delinquentis heredibus indemnitatē postulari posse dicendum sit, cum hæc debita damni reparandi bonis velut inherent, & quosuis eorum possessores comitentur 2). Disputata hæc quæstio olim fuit inter CARPOVIVM & FINCKELTHAVSIVM in causa furti, vbi condicō furtiuā, yti diximus (§. anteced. in fin.) eriam Iure Rom. in heredes transit licet nihil ad ipsum peruenient, cuius disputationis summā exhibet LUDOVICI 3). Hoc tamen etiamnum admonitum volumus, bona delinquentiū pro restituōne damni tacite obligata haud esse, licet id multi 4) velint, quia sine lege tacita hypotheca existere non potest, atque ita damnum passus non inter hypothecarios sed inter chirographarios in Creditorum cursu erit locandus 5).

- 1) In l. vn. C. quando ciuil. aet. criminal. praicud.
- 2) Conf. LEYSER. Spec. 149. med. 4. STRV. Exercit. ad π. 48. §. 22. HYPER. p̄flect. ad π. Tit. de furtis u. 6.
- 3) In diff. de restituōne rei furti. §. 3-15. add. WERNHER. P. i. Obs. 295. & P. v. Obs. 16. LEYSER. Spec. 621. med. 13. 14. 15. vbi de Iure Saxoni Elector. Nouiss.

B 2

4) Vid.



4) Vid. CHRISTIN. Vol. III. decis. 22. n. 4.

5) REINHARD. ad Christin. Vol. III. obl. II. n. 7. WERNHER.  
P. I. obl. 288.

### §. X.

Iam ad alteram obligationem quæ ex delicto ori-  
tur, nempe ad *pœnam fabeundam*, accedimus, visuri, qua-  
lem intuitu heredis effectum illa habeat. Hic præmit-  
tendum est, regulariter poenis heredes non teneri. Poe-  
na enim imponitur ob violationem legis, is itaque puni-  
endus est qui deliquerit, non aliis qui delicti expers est.  
Nec heres defunctum in delictis representat vel alieni cri-  
minis successor est<sup>1)</sup>. Sunt vero exceptiones a nobis non  
silenda, in quibus tamen rite proponendis non vna opus  
est distinctione. Actiones enim tales, quibus contra de-  
functum ad poenam agi poterat, vel descendunt ex deli-  
cto priuato vel publico. Et in priori casu iterum vel ci-  
uiles sunt vel criminales, id est poenam vel ciuilem sive  
actori adipicandam, vel criminalem sive fisco & reipubli-  
cæ quasi adipicandam, persequuntur. In hoc posteriori  
casu iterum vel ad poenam pecuniariam vel ad corpora-  
lēm aliquam comparatae sunt. De quibus ergo singu-  
lis in sequentibus distributius agendum erit.

1) I. 1. pr. & §. 2. de priuati, delict. I. 22. de noui operis  
nunciat. I. 32. ad L. Falcid. I. 38. de R. I. I. 20. de  
pœnis. I. 22. C. de pœnis. I. 2. §. 7. de decurion.

### §. XI.

Primo itaque actiones ex delicto priuato descendentes  
& quidem *civiles*, id est, quibus persequimur poenam pe-  
cuniariam nobis adipicandam, consideramus. Hic ius  
Rom. distinguere iterum nos iubet, utrum lis cum de-  
functo

functio iam contestata sit, an non? In priori casu actio  
 transit utique ad heredes & quidem in solidum. Ita enim  
 rescribunt Imp. DIOCLETIANVS & MAXIMIA-  
 NVS 1): "Post litis contestationem eo, qui vim fecit vel  
 "concussionem intulit, vel aliquid delinquit, defuncto, suc-  
 "cessores eius in solidum — — conueniri iuris absolu-  
 "tissimi est." Eadem adsertio quoque in aliis legibus 2)  
 repetitur, ut dubitandum non sit hanc poenam ciuilem  
 in hoc casu, mortuo delinquentे, ab eius heredibus exigi  
 posse. Ratio huius rei iterum querenda est in litis con-  
 testatione, qua actiones quasi nouantur, & per quam  
 quasi contrahitur 3). Efficit itaque litis contestatio, ut  
 actio penalis non amplius ex maleficio, sed quasi ex  
 contractu censeatur nata; actiones vero ex quasi con-  
 tractu & heredibus & contra heredes competere certi  
 iuris est 4). In posteriori casu vero, id est, lite non con-  
 testata, actiones haec etiam non transeunt, sed morte reo-  
 rum intercidunt, & ita regula supra tradita in iis seruatur,  
 nisi, quæ limitatio non est omittenda, defunctus moram  
 fecit in iudicio accipiendo, & per varia subterfugia, ut  
 actor litem cum eo viuо contestari non potuerit, efficit,  
 tunc transeunt actiones quasi lis reuera cum eo contesta-  
 ta esset 5). Nudæ vero judiciali conventioni cum C O C-  
 CEIO 6) idem non tribuimus, cui satisfieri potest ex GI-  
 PHANIO 7), ad quem breuitatis studio nos remit-  
 timus.

1) In l. vn. C. ex delictis defunct. in quant. hered. con-  
uen.

2) v. l. 26. l. 33. l. 58. de O. & A. l. 29. de Nouation.

1. 139. & 1. 164. de Reg. Iur. add. MEVIVS P. v. decis 392.  
n. 2. STRVV. exercit. 46. th. 86.
- 3) 1. 29. de Nouat.
- 4) CARPZOV. L. III. respns. 38. n. 27.
- 5) 1. 10. §. 2. in fin. si quis caution. l. 26. §. 4. de noxal.  
action. HARTM. PISTOR. P. i. quæst. 27. n. 7-9. CARPZOV.  
Responfor. L. III. resp. 39. n. 21.
- 6) In diff. de obligat. hered. ex delict. defunct. sect. III.  
th. 21. quem seduxit PAULVS in l. 33. de oblig. & A. quæ  
lex ramen de casu, ubi reus per calumniam differt Lit.  
Contest. accipi etiam potest, quorsum collineat LAVTERE.  
de transit. Actionum §. 38. n. 2.
- 7) In Lecturis Altorff. ad l. 33. de Oblig. & A. p. 605.  
§. XII.

Dixi hactenus de actionibus ciuilibus ex delicto priuato oriundis, sequens quæstio erit de actionibus *crimina-*  
*libus*, id est quæ persequuntur poenam publicam, qua sa-  
tisfit fisco & reipublica. Scilicet Ius Rom. permittit ex  
delictis priuatis etiam extra ordinem criminaliter agere,  
utiliter enim vindicandæ disciplinæ causa actioni ciuili &  
ordinariæ extraordinaria delicti animaduersio fuit adiecta.  
Coepit itaque inde ex priuato delicto cum ciuiliter apud  
Prætorem iure ordinario, tum criminaliter apud Prafe-  
ctum vrbis extra ordinem agi 1). In hac disquisitione  
respicendum est an poena hæc, ad quam agitur, *pecuniaria*  
sit fisco adPLICANDA, an alia. In illo duntaxat casu  
poena siue portius poenæ executio contra heredes decer-  
nitur: in hoc vero casu, si alia quam pecuniaria sit, num-  
quam. Sic e. g. contra iniuriantis heredes actionis iniu-  
riarum prosecutio, et si lis iam a viuo iniuriante contesta-

ta,

ta, locum non habet, quoties criminaliter aut ad palinodiam agitur 2). Sed in illo primo casu tamen non semper & indistincte hoc procedit, sed multum interest utrum lis viuo reo iam contestata sit, an non, sive utrum viuo reo condemnatio iam facta sit, nec ne. Nempe, ut haec apertius dicamus, lis de eo vertitur inter Doctores, quid requiratur, si poena criminalis pecuniaria ex delicto priuato in heredes transire debeat, utrum litis contestatio (in processu inquisitionis responso ad articulos litis contestationis loco est 2) sola sufficiat, an condemnatio ipsa potius necessaria sit? Qui prius tuentur nou leues reperio Doctores 4), sed nec minoris auctoritatis, & plures etiam numero, illi sunt, qui posterius tuentur, & heredes, vbi delinquens ante sententiam condemnatoriam moriatur, a poena liberant 5). Et horum sententia etiam vti nobis placet, idque propter sequentes rationes. Primo enim ante condemnationem mortuo reo poena idco ab herede exigi nequit, quia alias ipse heres puniretur, qui tamen non deliquit, nec quidquam cum accepta hereditate possidet, quod fisco deberetur, cum condemnatio nondum sequuta sit. Contra post condemnationem per sententiam iudicis id quod poena loco pendi debet, deficit in delinquentis patrimonio esse, & sic cum hereditate tanquam as alienum ad heredem peruenit. Accedit secundo, quod hic in subsidium vocari non possit quasi contractus, qui litis contestatione alias inducitur: Nam hic locum solum obtinet, si poena civilis actori adPLICANDA est, neque enim priuati pacisci & contrahere de iure publico seu de crimine, cuius poena ad rempublicam per-



pertinet, possunt 6), &, si possent, ex eo adquireretur poena partibus contrahentibus 7), quod tamen non sit, sed hic adquiritur fisco vel iudici qui non contraxit 8). Tertio faciunt pro hac sententia textus aliqui expressi 9), qui licet de actionibus ex delictis publicis proprie loquantur; tamen ob identitatem rationis non inconcinnare trahi possunt. Et tandem leges, quas dissentientes in contrarium adlegant 10), plane nihil probant, dum vel contrarium eius quod probare debent, continent, vel ad delicta priuata, ex quibus ciuiliter agitur, aperte solum pertinent & restringenda sunt.

1) l. vlt. de priuat. delict. l. vlt. de furt.

2) MEVIVS P. II, decis. 136. RICHTER. decis. 505. n. 20-22.

3) LEYSER, spec. 82. med. 9. WERNHER. P. V. obsf. 101.

4) LYNCKER. in Analect. ad STRV. Syntagm. p. 515. HOPP. ad §. I. I. de perpet. & temp. aet. MEVIVS P. V. decis. 393. aliqui quos citat COCCET. cit. diff. de Oblig. hereditis §. 32.

5) STRV. Exercit. 46. th. 86. COCCET. cit. diff. th. 26. CARPOV. P. III. resp. 38, 39. VASQVIUS controners. illustr. P. I. L. 3. c. 96. n. 28. WERNHER. Observ. forens. P. V. obsf. 101; iunct. P. VII. obsf. 15.

6) l. 27. §. 4. de fact. l. 6. de publ. iud. l. fin. C. si reus vel Accus. mort.

7) per l. 38. §. 17. de V. O.

8) Conf. STRV. Exercit. 46. §. 86. COCCET. c. dis. §. 26.

9) l. 20. de Accus. l. 10. C. de I. Fisci.

10) Veluti l. vn. C. ex del. def. l. vn. si pendente Adpell. l. 3. C. eod. l. 33. de Obl. & Aet. l. 164. de Reg. Jur. §. XIII.

## §. XIII.

Contraria tamen nostra sententia MODESTINVS videtur, in l. 20. n. de accusat. cuius versus ultimus ita sonat: "ex ceteris vero delictis poena incipere ab herede ita demum potest si viuo reo accusatio mota est, licet non fuit condemnatio secuta". Totus contextus ostendere videatur ICTVM in hoc versu loqui de delictis priuatis; opponuntur enim ab eo cetera delicta absolute publicis crimibus quod & agnoscit GOTHOFREDVS 1), & qui ei adstipulatur WERNHERVS 2). Deinde verbum accusatio in hoc versu occurrens, manifestare videtur satis agi etiam de delictis priuatis, ex quibus criminaliter agitur. Hoc itaque lex velle videtur, in delictis priuatis, ex quibus criminaliter agitur, solam litis contestationem, licet condemnatio non fuerit secuta, efficere, vt poena in heredes transeat. Verum enim vero his omnibus non obstantibus, non deserrandos esse credimus Doctores, qui versum hunc legis nostra de delictis accipiunt priuatis 3), ex quibus ad poenam ciuillem agitur, qua interpretatio optime cum rationibus, §. anteced. collocatis, conuenit. Ut ne vero ab hac interpretatione recipienda verbum accusatio aliquem retineat, notamus; licet accusare & accusatio proprie de eo qui criminaliter agit, dicatur: usum tamen huius vocabuli non ita constantem esse, vt non etiam subinde in Iure nostro de controuersiis ciuilibus & actionibus usurpetur. Sic e. g. accusatio inofficio, item accusatio suspecti tutoris in iure nostro occurrit 4). Proinde DIONYSIVM GOTHOFREDVM non errasse putamus, qui verba: *Si viuo reo accusatio mota est* ita interpretatur: *Si lis contestata est.* Nec usus fori

C

fori



fori ab hoc sensu legis nostra abludit; ita enim sape pronunciatum esse ex Doctoribus pragmaticis animadvertisimus §).

- 1) In notis ad l. 20. de accusat.
- 2) In obseruat. forens. P. vii. observ. 15.
- 3) Quod cum aliis facit WERNHER. P. vii. observ. 15.
- 4) l. 6. §. vlt. l. 7. l. 17. l. 27. pr. & §. 3. de inoff. Test. l. 11. C. cod. l. 1. §. 15. & §. 3. l. de susp. Tutor.
- 5) V. CARPOV. P. iii. resp. 38. CHRISTIN. Vol. iii. decif. 22. & Vol. iv. decif. 195. COCCEI. cit. diff. §. 32. WERNHER. P. v. obs. 101.

#### §. XIV.

Stet itaque sententia, si ex delictis priuatis criminaliter agitur, tunc demum poenam pecuniariam ab heredibus exigi posse, si ipse delinquens viuus condemnatus fuerit. Sed quid si condemnatio secuta quidem est, delinquens vero adpellauit, vel nouam suscepit defensionem, & mox obiit, an tunc etiam ab heredibus exigi poterit poena? Cum adpellatio reducat litem ad statum in quo erat ante litis contestationem, condemnatio adpellatione suspensa hunc effectum habere nequit, vt heredem oneret obligatione soluendi poenam pro defuncto. Interim tamen expectandus est adpellationis exitus, & sententia mortuolice reo nihilominus ferenda est, qua si absoluetur defunctus, res dubitationem non habebit, fin condemnabitur, priore sententia confirmata heres utique etiam ad poenam tenebitur. Suspensa enim tantum fuit sententia condemnatoria, non sublate, & nunc, confirmata, retro valere incipiet.

#### §. XV.




## §. XV.

Pergimus ad *delicta publica*, vbi rursus distinguendum est, inter poenam quæ bona adficit, & inter poenas alias, vitam, corpus, famam vel libertatem adficientes. Quoad has certum est, heredem ab iis semper & indistincte immunem esse; finiuntur enim tales poena morte delinquens, & suos duntaxat tenent autores quippe alium pro alio leges, rectam rationem fecuta, puniri haud sinunt 1).

1) l. 20. π. & l. 22. C. de pœnis. l. 6. de publ. Iud. arg. l. 15. §. 3. ad SCtum Turpill. l. 3. C. si reus vel accusator mort.

## §. XVI.

Quantum vero ad *pœnam ademtionis bonorum*, vel aliam pecuniariam adhinet, varii iterum casus distinguendi sunt. Aut enim delinquens decedit ante *sententiam condemnatoriam*, aut post eam. Si delinquens *sententiam fortuita morte præuerit*, tunc poena pecuniaria aut publicatio bonorum quæ defuncto imminebat haud transit in heredes, sive lite iam contestata (vel responsione ad articulos inquisitionales facta) mors sequuta sit, sive non 1). Vetant enim leges patrimonia mortuorum fisco addicere, nisi post publicam accusationem eos constituerit esse *convictus* 2), non vero ante convicti videri possint, quam sunt condemnati. Et cum ipsi condemnari amplius nequeunt, quia sententia in mortuum ferri nequit 3), iniurissimum foret aduersus heredes pronunciare, defunctum crimen commisisse, ut his bona auferri possint. Accedit, quod heredes non possint tam facile innocentiam rei demonstrare, sicut reus ipse potuisset. Vnde mortis probatio heredibus tali casu utilis est, ad sistendum contra absentem vel fugituum institu-



tum processum criminalem, & ad tollendum, quod bonis eius forte impositum fuit, arrestum 4). Verum notes bene nos loqui de iis qui naturaliter mortui, & fati munere a poena liberati sunt. Secus enim res sese habet, quando reus criminis eiusmodi, quod condemnato amissionem bonorum importaret, manus violentas sibi intulit, & morte voluntaria sententiam praeuertere voluit. Tunc enim hereditibus, licet condemnatione nondum secuta, bona defuncti denegantur, nisi innocentiam defunctorum probauerint 5). Pro ratione est, quod tales autochiri criminis conscientia facinus tale in sese admisisse, & sic delictum confessos esse, accipiuntur: qualem confessionem fictam leges in hoc casu sententia condonatoria etiopollere debere consti-  
tuerunt 6).

1) Per textum expressum in L. 20. de Accusat.

2) l. 10. C. de Iure fisci,

3) l. 2, que sentent. fine adpellat. rescind.

4) v. LEYSER. spec. 95, med. 3.

5) l. 3. §. 1. sq. de bonis cor. qui ante sentent. l. 5. C. fiscus vel accusat. mort. l. 8. ad Legem Pompej. de parcer-  
diis.

6) Arg. l. 3. §. 1. de bon. eor. qui ante sent. l. 1. C. de confess.  
§. XVII.

Resflat alter casus (§. XVI.) si post sententiam condonatoria reus criminis deceserit, tunc enim poena bona adficiens vtique in heredes deriuatur, per clarostextus iam §. anteced. allegatos. Ratio est, quia tali in casu fisco poena pecuniaria viuo etiamnum reo deberi coepit, & bona huic poena subiacentia desierunt esse in patrimonio defuncti. Heres itaque post condemnationem defunctorum ad poenam,

tan-

tanquam ad æ alienum, soluendum tenetur <sup>1)</sup>). Utique tamen hic requiritur, ut sententia condemnatoria non sit in Processu accusatoriō per Adpellationem, aut in Inquisitorio per nouam defensionem suspensa. Hoc enim ubi contingit, huc reperenda sunt, quæ supra §. XIV. diximus. Hoc vero hic quærendum superest, an heres ad prosequendam adpellationem obstrictus sit, ita vt, ni faciat, fiscus bona auferre possit? Ipsæ leges <sup>2)</sup> nos distinguere iubent, vtrum condemnatio rei includat bonorum publicationem per consequentiā e. g. defunctus condemnatus est ad poenam corporalem, cui cohæret bonorum ademptio, vt Iure Rom. poenis capitalibus omnibus cohærebat <sup>3)</sup>; aut in sententia condemnatoria poena pecuniaria vel publicatio bonorum nominativi expressa est, adeoque duo iudicia separata & æque principalia adsunt e. g. relegatus est, & in parte bonorum multatus simul. Illo casu non est necesse, vt heres adpellationem prosequatur, sed extincto principali per mortem defuncti, nempe poena defuncto dictata, extinguitur etiam accessorium, nempe bonorum publicatio. In hoc altero casu vero necesse est, vt heres adpellationem prosequatur, & in reddendis adpellationis causis sententia prioris iniuriam detegat, alias enim fiscus bona ei eripiet, vel poenam pecuniariam exiget, licet enim unum morte defuncti sublatum, & crimen quoad eius personam extinctum sit, remanet tamen alterum bona respiens, & sic heredes pro eorum interesse petere debent, vt ad sententiam nouam, priore suspensa, procedatur.

1) COCCET de oblig. heredis ex delict. defuncti sect. IV. §. 30.

2) 1. vlt. C. si reus vel accusator mort. l. 3. C. si pendente adpellat, l. 9, de Iure fisci. l. vn, π. si pendente adpell. mors

mors interuenit  
3) l. i. de bonis damnator.

§. XVIII.


Itaque in criminibus publicis ante condemnationem rei pena non transit in heredes, adeo ut hi, et si forte reus vel confessus vel coniunctus deceperit, modo condemnationem secuta sit, ratione poena pecuniaria inquietari haud possint 1). Verum huius regulæ exceptions nonnullæ in legibus proditæ sunt, quas breuissimis etiam num commemorabimus. Nempe reperiuntur *primo* crimina quædam, in quibus tum ob eorum atrocitatem, tum ob boni publici rationem leges voluerunt, ut mortalitate non extinguantur, nec iudicium morte solvatur, sed ut potius actio & persecutio, et si reus ante condemnationem fatidie functus sit, aduersus mortuum etiam perduret & exerceatur, eoque condemnato heredibus bona auferantur. Huc pertinet a) *crimen perduellionis*, quod omnium delictorum grauissimum adpellatur 2), ex quo proin accusatio mota non aduersus heredes solum durat, sed & post perduellis mortem de novo inchoari potest 3). Pertinet huc b) *crimen repetundarum*, quod commitunt ii, qui in aliqua potestate vel officio publico sunt, & pecuniam præter fas accipiunt, quo magis aut minus officium suum faciant. Poena Iure R. erat pecuniaria in quadruplum 4), qua ad heredes etiam transibat, et si defunctus ante condemnationem deceperisset 5). Ulterius huc referendum venit c) *crimen peculatorum*, & d) *crimen de residuis*, quorum illud committitur ab iis, qui pecuniam publicam furto subtrahunt; hoc vero ab iis, qui redditus publicos, quorum administrationem habent,

habent, interuertunt. Horum delictorum poena interdum etiam quadrupli fuit, cuius exactio aduersus heredes quoque exercetur 6). Denique huc e) *crimen heresos siue laesa Maiestatis diuinæ, vti vocant, pertinet, cuius poena ad exemplum criminis perduellionis formata, & ideo in mortem etiam inquisitio extensa fuit 7).*

- 1) FACHINAEVS L. ix. Controuers. Cap. 37.
- 2) In Nov. 22. Cap. 15.
- 3) l. 7. & 8. C. ad L. Iul. Maiest. l. 20. de Accusat. l. vlt. ad L. Iul. Mai.
- 4) l. 1. C. ad L. Iul. repetund. l. 3. C. de Assessor. iunet. BACHOV, ad Treutler, Vol. ii. disp. 32. th. 9. lit. c.
- 5) l. 15. §. 3. ad SCtum Turpill. l. vlt. ad L. Iul. peculat.
- 6) l. 6. §. vlt. l. penult. ad L. Iul. peculatus. l. 2. π, & l. 2. C. ad L. Iul. repetund.
- 7) vid. l. 4. §. 4. C. de hæret.

### §. XIX.

*Deinde etiam heredes adfligunt poenæ ex bonis" praestanda quæ ipso iure imponuntur delictis, id est: vbi leges eum, qui eiusmodi delictum admisit, statim ex quo id patravit, poenæ amissionis rerum suarum subiiciunt. Etsi enim sententia declaratoria in his etiam opus sit, non tamen demum poena se exserit, vbi condemnatio sequitur, sed statim ex eo momento, quo factum illicitum admissum est, vt proin bona hæc poena deputata ad heredes transire non potuerint, quippe ad patrimonium defuncti mortis tempore non amplius pertinentia. Huc pertinent a) commissa vestigialium nomine, sive quando vestigal non soluitur ex mercibus unde debebatur, hæcque propterea in commissum cadunt & amittuntur, Nam quod commissum est statim*



statim definit eius esse qui crimen contraxit, dominiumque rei vestigali adquiritur: ea propter commissi persecutio sicut aduersus quemlibet possessorem, sic & aduersus heredem competit 1). b) Res *qua indignis a fisco auferuntur*, nam ea quoque statim & facto ipso fiscus adquirit 2), qui exinde, mortuo licet indigno, ab eius heredibus res tali modo quæfitas vindicare potest 3). c) a nonnullis huc refertur poena in eos, qui res suas ab aliis detentas contra Decretum D. MARCI 4) vi auferunt, & d) poenam, *qua iure nouissimo* 5) in tutorem qui tutelam debitoris sui suscipit, sanxit, ut scilicet Ius crediti amittat.

1) l. 14. de publican. & vestigal.

2) Tot. Tir. de his *qua vi indignis aufer.* & Tit. π. & C. si quis aliquem vi testari prohib.

3) l. 22. ad Sctum Sill. l. 9. de *Iure fisci.*

4) l. 13. quod metus caufa, & l. 7. C. Vnde vi.

5) In Nov. 72. Cap. 4.

## TANTVM.





Erfurt, Diss., 1761/67

SS.

ULB Halle  
004 995 333

3







1765 2

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**ACTIONIBVS EX DELICTO**  
QVATENVS  
IN HEREDES TRANSEVNT VEL NON  
TRANSEVNT

---

QVAM  
AVSPICIIS DIVINIS  
INDVLTV ET AVCTORITATE ILLVSTRIS ICTORVM  
ORDINIS  
IN PERANTIQA ELECTORALI ACADEMIA ERFVRTENSI  
PRAESIDE  
FACVLTATIS IVRIDICAE DECANO  
**DN. RVDOLPH. CHRISTOPH. HENNE**  
ICTO  
ORDINIS IVRECONSULTORVM ET IUDICII ELECTORAL. PROVINCIAL.  
ADSESSORE, NEC NON COD. ET IURIS FEVDAL. PROFESSORE  
PUBL. ORDIN.  
PRO SVMMIS IN VTROQUE IVRE HONORIBVS ET DIGNITATIBVS  
LEGITIME CONSEQUENDIS  
DIE XI. APRIL. MDCCCLXV. HORIS CONSVENTIS  
IN AUDITORIO ICTORVM MAIORI COLLEGII  
ANSELMINI  
PUBLICAE DISQUISITIONI SVBMITTIT  
AVCTOR  
**IOHANNES CONRADVS LOEBER, ERFORT.**  
ADVOC. DIC. EL. ERF.  

---

ERFORDIAE  
LITTERIS NONNII, ACAD. TYPOGRAPH.